

Alia forma dubitativa ksanka est forma affirmativa, ut supra monuimus, et exprimit iudicium mentis incertum vel probabile. Characteristica huius formae est particula *lin*, quae aequivalet adverbiiis latinis *forte*, *fortasse*, *probabiliter* etc. e. g. ulinslutskini, *fortasse mentior*; ulintsgalaini, *fortasse furabor*; ulintsgalaimititni kutsłatsikam; *ero fortasse duorum dierum (absens) donec revertar*; ukalwini mats liip, miksani ukalwini lintsgalipni, *nollem cum mori, verum puto fortasse morietur*.

DE PARTICULA KAA EIUSQUE AFFINIBUS.

Particula *kaa* est una ex praecipuis particulis linguae ksanka, ac magni momenti est probe nosse eius vim et usum. Particula *kaa*, cuius forma secundaria est *kaas*, est vocabulum sui iuris, quod non componitur cum aliis vocabulis, et communiter praepositur verbo habenti formam simplicem, id est carenti desinentia declinationis. Verum dum verbo praepositur, inducit in ipsum aliquam modificationem phonicam, quatenus postulat ut inseratur immediate ante thema verbale vocalis *a*, si quidem thema verbi incipit a consona. Dixi *ut plurimum*; quia interdum non inseritur eiusmodi vocalis phonica, interdum vero potest ad libitum inseri vel non: e. g. *kaa* kin-a-kanam; *kaas* k'kausaka; *kaa* un-akalwi, *kaa* ukalwi.

Hisce praestitutis, investiganda est vis significativa particulae *kaa* primo sub interrogatione, deinde citra interrogationem. Particula *kaa* in locutionibus interrogativis idem valet ac pronomen latinum *quānam*, *quatenam*, *quodnam*. Seu, quod in idem recidit, mediante particula *kaa*, quaeritur ut indicetur aliquod ex pluribus subiectis, cui conveniat aliquod praedicatum, vel aliquod ex pluribus praedicatis, quod conveniat alicui subiecto. Notandum tamen est, particulam *kaa* non se porrigere ad omnia subiecta vel praedicata, circa quae versari potest aliqua interrogatio. Quod ut intelligatur, noscere oportet metaphysicam sublimiorem indorum ksanka de supremis rerum generibus.

Quidquid sit de supremis rerum generibus iuxta philosophos, qui inter se non conveniunt, suprema rerum genera secundum